



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 23. Varia alia motiva. Ex Veteri. Novo. Patribus, & aliis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

*Ego dixi, dii estis, & filii Excessi omnes; vos autem sicut homines moriemini.* Psal. 81. 6. 7.

*Fili hominis, vade.* Ezech. 3. 4. Cur Ezechiel Propheta, vel quoties sublimia conspicit, vel quoties aliqua agere mystica iubetur, prius *filii hominis* appellatur? Saepe enim subleuatur ad caelestia, & occultis, atque invisibilibus, rebus ejus mens pascitur. Necessse ergo est, ut inter occulta, quae penetrat, filius hominis nuncupetur: ut semper agnoscat, quod est; & nunquam extollatur de his, ad quae ducitur. S. Gregor. hom. 12. hic.

*Nam & ego homo sum.* Matth. 8. 9. Homo sum: jam quid inferas; suspectam non habemus jaclantiam: praemissa siquidem est humilitas, ne altitudo praecipitet. Sanct. Bernardus ep. 42. Apud Velloso in Judich 7. Paran. 9.

*Simile est regnum caelorum homini regi.* Matth. 22. 2. Prius vocatur homo, postea rex: solidum enim fundamentum regij honoris est; ut reges homines se esse agnoscant. Sylveira hic.

*Surge, & ego ipse homo sum.* Act. 10. 26. Quia humiliari sibi, plus quam debuit, proximum vidit; ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem recognovit: quatenus illati sibi honoris elationem frangeret, ex considerata aequalitate conditionis. S. Gregorius l. 21. mor. c. 11.

#### Ex Patribus, & aliis.

Cum cogitauerimus, unde constitutionis nostrae initium natura nostra susceperit; etiam si sexcentis supercilia surrigamus; ea reprimemus, & humiliabimur; & substantia nostrae qualitatem perpendentes, modelliam discemus. S. Chrysost. hom. 12. in Gen.

Homo dictus, quia ex humo factus est. S. Ildorus Originum l. 11. c. 1.

Ut superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, non dedit hominibus maxima corpora: nam si exiguis corporibus praediti, non contra se modo, sed contra DEUM Creatorem, attolluntur; quid non commississent, si maxima corpora sortiti fuissent? B. Theodoretus q. 48. in Gen.

#### §. XXIII.

##### Varia alia motiua

#### Ex Veteri, & Novo.

*Ego sum DEUS Patris tui, DEUS Abraham &c.* Ex. 3. 6. mox ille abscondit faciem suam. Pererius: ubi audivit DEUM dicentem sibi: *ego sum DEUS Abraham &c.* statim vultum operuit: nihil est enim, quod nos magis pudore afficere possit; quam si insignium sanctitate virorum eximias virtutes, & praecleara facta, intueamur, & cum animo nostro repitemus; atque vitam, atque opera nostra, cum illis comparemus. Didacus Nissen, D. 10. Pent. §. 4.

*Pulchra ut luna.* Cant. 6. 9. Cur non ut Sol? ut scias, pulchritudinem gratiae non tan-

tum à te non esse, sed à DEO; quod humilitatem commendat: sed etiam, quamdiu in hoc exilio degis, inesse tibi mutabilitatem; qui hodie es pulcher, cras poteris esse foedus; & qui modò es lucidus, postea forsitan fies tenebrosus. de Ponte hic Eph. 5. §. 2.

*Nisi conversi fueritis - sicut parvuli.* Matth. 18. 3. Prorsus vos filij Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excrevistis; nisi conversi fueritis &c. non intrabitis in regnum caelorum. Guarricus l. 1. de Nat. D.

#### Ex Patribus, & aliis.

Sicut ramus, in quo pendet fructus; & sicut spica plena granò, respicit, & declinat versus terram: sic anima humilis, quae instar rami est onusta fructibus honorum operum; & ad modum spicae plena est granis virtutum, respicit terram, id est est, propriam fragilitatem. S. Bonaventura diat. fal. de humilit. c. 36.

In omni tempore, & loco, & quocumque in opere, humilitatem tibi comitem adhibe. Sicut enim corpus, sive calori, sive frigori, obnoxium sit, vestimento indiget; ita & anima perpetuo humilitatis indumentò, habituque, opus habet. S. Ephrem de vita spir. cap. 64.

S. Franciscus rogatus: quid haberet gratiae, aut boni, ob quod à DEO ad tantam sanctitatis, & auctoritatis, fastigium à DEO esset exaltatus; ut totum Mundum ad se, sui que amorem, ac reverentiam, traheret? tu enim, inquebant, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non formosus. Respondit: ideo DEUS ad hoc me elegit; quia nihil habeo, in quo gloriari possim: ut constaret, hoc opus non esse hominis, sed DEI. Cornelius in Act. c. 1. v. 26.

B. Magdalena de Pazzis hoc à DEO dogma accepit, esto ordinis Minimorum, & Minimorum minima. Cornelius in Luc. 22. v. 26.

#### §. XXIV.

#### Humilitas propria magnorum Sanctorum.

#### Symbola, & Similitudines.

#### Ex Veteri.

*Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, & velut arenam.* Gen. 22. 17. Quid splendidius altis, quid arenis vilis? quam procul à littore maris firmamentum caelorum est? Et tamen DEUS eosdem, & stellas esse vult, & arenas. Optat Dominus in Alumnis suis eam animi magnitudinem, quae pro Christo, & summa aggrediatur, nec infima dedignetur. Vult te modò ad stare fabro; modò cum regibus confidere. Oliva l. 4. Strom. hic. Si tanquam stellae in caelo aliis praelucemus; tanquam arena humi jacere debemus omnium pedibus contendi. Tuffo in Eccl. c. 2. Stellae sunt Abrahamae stirpenati, quia magni sunt; sed modici apparent. Hugo Card. hic. Stellae minus appa-